



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXXII. De Angelis in comparatione ad corpom.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXXII.

De Angelis in comparatione ad corpora.

SECTIO PRIMA.

Quomodo Angeli assumant corpora.

I. Angelos specie corporeâ sæpe hominibus apparuisse, non semel testatur Scriptura, ubi varîæ hujusmodi visiones referuntur: Abraham siquidem, Loth, Tobîæ, & aliis plurimis frequenter dicuntur Angeli apparuisse: dæmon etiam sub specie serpentis ab Evâ visus est ei que locutus. Quæstio itaque est de modo quo hæc visiones contingunt.



NGELOS in specie corporeâ sæpe hominibus apparuisse, non semel testatur Scriptura, ubi varîæ hujusmodi visiones referuntur: Abraham siquidem, Loth, Tobîæ, & aliis plurimis frequenter dicuntur Angeli apparuisse: dæmon etiam sub specie serpentis ab Evâ visus est ei que locutus. Quæstio itaque est de modo quo hæc visiones contingunt.

II. Quorundam hæc de re placitum.

S. Thomas primâ parte, quæst. 51. art. secundo ait, existimare nonnullos, Angelos reipsâ corpora nunquam assumere, sed illa omnia, quæ ab iis obijci sensibus videntur, in virtute tantum phantasticâ & sensuum illusionem contingere.

III. Apparitiones inter-dum in solâ imaginatione per se fieri.

Verum, esto nonnunquam accidat, ut hujusmodi apparitiones in imaginatione solâ fiant, ut quando eveniunt in somnis, quo etiam pacto præstigiatores hominibus sæpenumerò sensuum ludificationes imponunt; indubitatum nihilominus est Angelos nonnunquam vera corpora sensibilia assumere, quæque sensibus discerni possint: ita S. Thomas citatus, S. Bonaventura, Halensis, Scotus, Durandus, & alii: Suarez lib. 4. de Angelis capite 33. affirmans non posse sine magnâ temeritate negari: Vasquez Disp. 184. cap. 1. Tannerus, Arrubal, Granada Tract. 9. disp. 2. sect. 1. n. 7. Arriaga Disp. 19. sect. 3. & alii passim.

IV. Veras aliquas dari Angelorum in corporibus apparitiones ostenditur.

Probatur conclusio apparitionibus supra ex Scriptura allatis, in quibus cum referatur toties Angelos visibili specie hominibus apparuisse, ab iis visos, auditos contrectatos fuisse, ut cum Loth iis pedes lavit, &c. moraliter impossibile videtur, ut hæc omnia per meram imaginationem, & immutationem phantasticam fierent; licet namque ut notat S. Thomas unum vel alterum hoc modo semel aut iterum deludi interdum contingat, at toties & tam constanter, idque respectu tot diversorum hominum hoc fieri, quamvis nulla sit metaphysica repugnantia, videtur per se loquendo impossibile.

V. Evâ phantasticam diabolum ante peccatum immutare non potuit.

Deinde in statu innocentie, & ante peccatum, non videtur diabolus eam vim habuisse in Evam, ut illius phantasticam hoc modo immutaret, eamque per illusionem sensuum deciperet. Quod multo majori ratione dicendum de Christo, nec potuit dæmon qui ad eum tentandum accessit vel in ejus phantasticâ, vel sensibus hujusmodi immutationes aut præstigias facere. Confirmatur ex modo loquendi Scripturæ, ubi dicuntur homines Angelos tetigisse, quod nisi vera haberent corpora intelligi congruè non potest.

VI. Sanctorum Patrum testimonio probatur veras dari Angelorum apparitiones.

Hoc idem sæpe affirmant Patres quorum testimonia suscipi videntur apud Auctores citatos: sic S. Augustinus lib. 15. de Civitate Dei, cap. 23. Apparuisse, inquit, hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solum videri verum etiam tangi possent,

eadem verissima Scriptura testatur. Clarius S. Isidorus lib. 5. de summo bono, cap. 10. Angeli, inquit, corpora, in quibus hominibus apparent de supremo aere sumunt, solidamque speciem ex caelesti elemento induunt, per quam humanis oculis manifestus deteguntur. Quæ & hujusmodi alia passim reperiuntur apud S. Gregorium, Cyprianum, Athanasium, & alios.

Concilium ergo Ancyranum non docet nullam fieri apparitionem, nisi per solam imaginationem, sed ait, feminas quasdam seu lamias hoc modo fuisse per delusionem phantasticâ à dæmonibus deceptas, dum sese hinc inde sublimè per ærem de-ferri, & varias terræ partes cum Dianâ equitando obire somniabant. Quare frequenter merè imaginariè conventiculis illis nocturnis, spectaculis, & conviviiis interfuit, cujus indicium est, quod sæpe eodem tempore domi conspectæ sint, dum se in remotissimis locis, choreis interesse existimabant: deinde finitis epulis sepissimè tantâ se fame premi sentiunt, ac si nihil comedisissent, quod signum est epulas illas merè fuisse imaginarias.

Quare his alios accusantibus, quod eos hujusmodi spectaculis interfuisse viderint, credi non potest, de iis præsertim de quibus aliunde nulla est suspicio, cum facillè deludantur. Interdum tamen in partes remotissimas nonnullos transferri certum est, ut constat ex sagarum causis in variis tribunalibus examinatis. Unde viri quidam ad hujusmodi conventiculum ab uxore ductus, soluto per nominis Dei invocationem conventu, solus in longinquâ regione est relictus.

SECTIO SECUNDA.

De materiâ & coloribus corporum assumptorum.

QUÆRES, ex qua materiâ hæc corpora ab Angelis subinde assumpta compingantur. Quæstio supponit non esse vera animalia, qualem fuisse serpentem in quo dæmon apparuit Evæ docet S. Augustinus lib. 14. de Civitate Dei, cap. 11. de his namque quomodo contingat ea assumi postea dicemus; licet enim Angeli boni istiusmodi corpora, etiam viva verorum animalium supernaturaliter seu ope divinâ formare possint, non tamen putandum, ea miracula, cum necessaria non sint, contingere. Mali autem Angeli nequeunt vera animalia, tam citò saltem, & in tantâ magnitudine effingere, nec etiam animalium antea existentium corpora hoc modo assumere, cum ejusmodi habeant corpora, quæ facillè extenuari possint, & per quamlibet angustam rimam devehî. Quare omnino falsum est, quod docet Tertullianus lib. 6. de carne Christi, cap. 3. ubi ait hujusmodi corpora non assumi ex præjacente materiâ, sed ex nihilo: quem tamen explicat Suarez hic, lib. 4. cap. 34. n. 4. ut solum velit non effingi illa corpora ex materiâ crassâ

VII. Materie An-cy-rani circa apparitionem declaratur.

Conventiculis, conviviiis, & spectaculis merè imaginariè quaeritur.

VIII. Nulla fides hu alios an-cy-ranum esse habitum.

I. Firmè corpore ab Angelis inter-dum assumpta, verum sunt corpora.

Hæc corpora ex materiâ tenui et sub-tili compinguntur.

erassâ & sensibili, sed ex delicatore quadam, & subtiliore, & quæ aspectum per se fugiat, ac proinde materia cœteri vix possit.

II. Dicendum itaque cum S. Thoma hic q. 51. a. 2. ad 3. Scoto, Suarez lib. 4. cap. 34. num. 5. & aliis, hæc corpora compingi ex aère; quamvis nonnulla inter hos auctores sit discrepantia, eum Sanctus Thomas velit ex puro aère, licet condensato, illa confici, Scotus ex aère crassiore, seu vaporibus permixto.

III. Probabile tamen mihi videtur, quod ait Suarez numero 6. nempe licet materia quasi remota sit aër (quo modo explicari potest S. Thomas) at verò omnium corporum quæ formantur & assumuntur ab Angelis non posse aërem, vel etiam vaporem esse materiam proximam, sed aër paulatim per condensationem mutatur in aliud mixtum solidius, vel saltem tenuia quadam corpuscula in aère conclusa, & inter se constipata ad hoc munus conducunt, quæ etiam facile postea disperguntur, & disparent. Imò ex crassiori aliquando materiâ videntur hæc corpora efformari, aquâ scilicet, terrâ, & alijs hujusmodi, quæ facile contactum ferre possint. Nonnunquam etiam cadavera ipsa mortua assumit dæmon, & per ea homines deludit.

IV. Quæres secundò, quo pacto colores & alia qualitates, quæ in his corporibus apparent, in ea inducantur. Quoad figuram, cum materia aliquam semper habeat crassitatem, non videtur ad eò difficile Angelo, hominis, vel alterius cuiuscumque rei in eam figuram inducere: ad hoc etiam ut hæc corpora sint palpabilia, seu tangi possint non requiritur ut habeant organizationem humanam, sic enim & formam humanam habent, sed sufficit tum aliqua densitas materiæ cum quibusdam primis qualitatibus, tum ipsa resistentia Angeli, quæ prout major vel minor fuerit, facit ut durum vel molle videatur id quod tangitur: posset tamen à curiosè illa tangente animadverti, non esse veram carnem. Unde ait Christus discipulis, *palpare & videre, quia spiritus* (id est phantasma) *apparens, seu spiritus in corpore & figurâ hominis) carnem & ossa non habet: nisi forte dæmon assumeret cadaver hominis mortui, quod tamen rarò ipsi permitti credendum est.* Imò, ut ait Suarez, observatum est dæmonem nunquam formam hominis secundum omnes partes assumere, sed saltem ex pedibus dignosci posse, qui semper sub figura sunt alterius animalis.

V. Quoad colores censent multi eos tantum esse apparentes, illorum instar qui in nubibus aut collo columbæ identidem cernuntur. Sed hoc videtur difficile, cum plurimis, iisque è diversis locis contuentibus iidem appareant, sole etiam non lucente, quod non contingit in iride, nubibus, & alijs coloribus merè apparentibus. Veri ergo sunt, & partim ex elementorum, & primarum qualitatum contemperazione orti, partim operâ Angeli per pingendi artem dispositi.

SECTIO TERTIA.

De unione Angeli ad corpora assumpta: & quas in iis operationes exercere possit.

I. QUÆRES tertio quæ conjunctio cum corpore requiratur & sufficiat, ut assumi dicatur R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

ab Angelo. Certum est non sufficere solum motum localem, sic enim intelligentiæ motrices affluerent sphaeras cœlestes. Deinde corpora adluentia assumpta etiam quando Angelus ab omni motu cessat. Nec etiam ad hoc satis est intima præsentia, neque enim dæmones assumere dicuntur corpora omnia quibus intimè sunt præsentibus.

Non etiam fit hæc assumptio per unionem substantialem; hæc quippe unio vel esset formalis, ut vult Aureolus, & physica seu informativa, hoc autem dici nequit, cum Angelus non sit forma physica, sic enim esset ens incompletum ordinatum ad componendum unum totum physicum cum materiâ, & consequenter foret anima rationalis: vel unio hæc esset hypostatica ut insinuat Tertullianus, sed neque hoc dici ullo modo debet, cum saltem naturaliter fieri hujusmodi unio non possit, dæmones autem naturaliter corpora assumunt: imò nec videtur ponendum miraculum etiam in bonis Angelis quoties hominibus apparent, res enim per se nimis levis est ad statuendum tantum miraculum. Addo ulterius, nec requiri ad assumptionem corporis ut inter Angelum & illud intercedat etiam vera unio accidentalis.

Probabilius itaque mihi videtur Angelum assumere corpus nihil aliud esse, quam illi assistere tanquam motorem in mobili, cum respectu aliquo rationis seu signi voluntariè assumpti ad ipsum aliquo modo representandum, quod etiam desumitur ex S. Thoma q. 51. art. 2. ad secundum, dicente, *corpus assumptum non uniri Angelo, ut forma, nec solum ut motori, sed sicut motori representato per corpus mobile assumptum.* Debet ergo ita illi corpori assistere, ut unum quid cum illo constituere videatur, utque corpus illud non suas, sed Angeli vices sustineat, operationesque ab eo procedentes non propriæ illius corporis sint, sed illi quod corpus illud representat tribuantur, sive sciatur personam illam, seu primum agens esse Angelum, sive non.

Quando autem actiones illa representent personam, quæ substat corpori, quando non, sed ipsum corpus, discernendum ex ipsâ naturâ actionum: si enim ejusmodi sint, ut vel illæ vel earum similes à corpore illo procedere soleant, tunc corpus representant non Angelum, illudque operatur nomine proprio: sin verò ejusmodi sint actiones illæ, ut non soleant earum similes à corpore illo procedere, tunc Angelum representant, isque dicitur corpus illud assumere. Hæc institutio nostro sufficiat: qui plura cupit, adeat P. Bupalum qui isthæc copiosè prosequitur, & plurimis illustrat historiis.

Quæres quartò: utrum Angeli in corporibus assumptis exercere possint operationes vitales: Angelus in qua de re ait D. Thomas hic q. 51. art. 3. cum quo & Theologis communiter dicendum, cum Angelus corpus illud non informet, non posse eum propriè elicere operationem ullam quæ propriè vitalis sit, ut videre, audire &c. licet varias tales. elicere possit, quæ similitudinem habeant, referantque operationes illas, quæ à solis viventibus procedere solent, quales sunt ambulare, loqui, & his similes, quæ tamen plerumque nec in viventibus vitales sunt quoad substantiam, sed tantum quoad modum, quare & terminum habent non vitalem, ac proinde quoad substantiam fortè eadem planè provenire possunt à principio non vitali, quæ à vitali.

E o Unde

poris non sufficere motum localem.

II. Inter Angelum & corpus assumptum non intercedit unio substantialis.

III. Angelus assumere corpus est illi peculiaris modo assumptæ.

IV. Quando actiones ab Angelo procedere censentur, quando à corpore. Quando actiones in corpore exercitæ representent personam assumptam.

V. Angelus in corpore assumpto elicit neque operationes propriè vitales.

Quasnam possit operationes exercere.

Materia horum corporum est aër.

Aër per condensationem transit saepe in aliud mixtum.

Corpuscula quoad aëri frequentè intermiscantur.

Quo pacto figura in hæc corpora inducatur.

Hominis mortui cadaver assumere, rarò dæmoni permittitur.

Colores in corporibus assumptis, veri sunt, an apparentes.

I. Ad assumptionem corporum.

VI.
Dicine possit
Angelus in
corpore as-
sumpto verè
comedere.

Unde quæstio fortassis est de nomine, utrùm Angelus in corpore assumpto dicatur verè comedere, ut de Angelis loquitur Scriptura Genesis 18. v. 9. qui apparuerunt Abraham, de quibus dicit, cum comedissent &c. & hoc affirmat Halensis, Scotus, Gabriel & alii, qui proinde ad veram comestionem aliud non requirunt, quàm comminutionem cibi, & illius trajectionem in interiores corporis partes, quæ omnia cum per solum motum localem fiant, non est inquit, cur præstari nequeant ab Angelo corpore assumente. Sanctus Thomas econtrà cum suis negat Angelum comedere, unde & Angelus Raphael Tobie 12. v. 19. Videbar, inquit, manducare, & bibere. Sed ut dixi, multum in hoc est de nomine.

Advertendum tamen licet hæc & alia hujusmodi actiones, ut motus progressivus, quoad substantiam provenire possit ab Angelis in corporibus assumptis, non tamen ita ut per sympathiam quandam unum membrum moveatur medio alio, idque ex motione & directione phantasmatis cum influxu cerebri spirituumque vitalium & animalium, quod ad proprium motum progressivum animalis lib. 1. de anima requirit Aristoteles. Idem iudicium est de locutione, quæ cum ab Angelis in corporibus assumptis non fiat per organa vitalia, ac dirigente phantasia, non proprie loquuntur in iis Angelis, licet hanc etiam iis, sicut comestionem tribuat Halensis.

VII.
Motus proprie progressivus Angelus in corpore assumpto non competit.

Nec etiam dicuntur proprie loqui.

DISPUTATIO LXXIII.

De motu Angelorum.

SECTIO PRIMA.

An & quomodo moveantur Angeli.

I.
Certum est
Angelos moveri localiter.



UOAD primum indubitatum videtur Angelos moveri localiter, id enim sæpe testatur Scriptura affirmans Angelos de loco in locum moveri. Sic mali Angeli de Cælo in terram deturbati dicuntur, sic anima Lazari ab Angelis ad sinum Abraham deportata, circumire etiam & perambulare terram, quæ aperte innuunt mutationem loci & motum localem.

II.
Potest Angelus moveri successivè & continuè.

Circa motum ergo Angelicum quæritur primo: possint Angelus moveri successivè & continuè. Resp. cum communi sententiâ posse, idque sive in spatio divisibili existat, sive constitutur in puncto. Prima pars de Angelo existente in loco divisibili est communis: eam tenet Suarez lib. 4. cap. 20. num. 7. Vasquez disp. 195. cap. 6. Granado hic, disp. 4. Arrubal & recentiores communiter, ex antiquis eandem sententiam docet Scotus, Ocham, Gabriel, & alii: imò hoc idem sentire videtur S. Thomas hic quæst. 53. art. 1. & 2. licet contrarium insinuaverit in 1. Dist. 37. quæst. 4. art. tertio: nec meo iudicio major est difficultas de Angelo in indivisibili constituto.

III.
Variis modis explicandi motum Angelus continuè & successivè.

Potest itaque Angelus vel in puncto vel parte aliqua minimâ existens continuè & successivè, versus aliquam, vel etiam omnem spheram suam partem se movere; potest insuper in majore parte spatii existens, illam paulatim successivè relinquere, vel tandem novum totum spatium successivè paulatim & continuè acquirere, ut hinc exempli gratia Romam à motu nunquam cessando tendere. Ratio autem hujus est, quia nulla peculiaris major hic cernitur difficultas, quàm quòd Angelus in entitate indivisibilis, existat in loco divisibili, præsertim si ubicatio ipsius dicatur esse divisibilis, sed licet statuatur ubicatio indivisibilis non repugnat id fieri juxta illius sententiæ auctores; asserunt siquidem nihil esse contra con-

Non obstat hujusmodi motui quod Angeli ubicatio sit indivisibilis.

ceptum spiritus quod res aliqua divisibilitatem habeat secundum partes priores & posteriores etiam in ordine ad locum, sicut in ordine ad tempus contingit in duratione.

Secunda etiam pars de Angelo existente in puncto, licet in hoc sit major difficultas: Probatur, non enim repugnat aliquid indivisibile successivè & in tempore correspondere loco divisibili, & majori se; sic enim quævis res, etiam materialis successivè correspondet loco se majori, & omnes qui cum Aristotele & S. Thoma puncta admittunt in continuo, fateri necessarid hoc debent de quovis puncto in re materiali: quodcumque siquidem movetur lapis, quodvis in eo punctum continuè & successivè movetur upà cum partibus, quas, ut constat, non relinquit, ergo in tempore inmediate post quietem, quando erat in puncto spatii, debet successivè correspondere, seu pertransire spatium loci divisibile: verum est quidem permanenter, & in quiete non potest punctum correspondere spatio majori se, sicut nec potest res alia quæcumque materialis, & successivè, at in motu hoc neutri repugnat, cum nunquam simul sit in loco se majore. Unde hanc etiam partem tenet Scotus in 2. disp. 2. q. 9. ad 3. principale, & alii.

IV.
Ostenditur Angelum in puncto existentem posse se movere successivè.

Nil vitat rem indivisibilem spatio divisibili successivè respondere.

Notandum verò, si Angelus existens in palmo in hac parte scholæ in instanti A, moveretur in instanti sequente ad duos palmos proximos, vel etiam ad totam scholam se extenderet (quod nunquam fieri possit postea videbimus) hoc inquam si contingeret, non esset motus successivus, sed simultaneus: esto enim in hoc casu, ordine naturæ quædam foret successio, sicut in opinione statuente gradus qualitatum heterogeneos, quando unico instanti in eadem parte aëris producuntur sex gradus lucis, sextus gradus ordine naturæ produciuntur post 5. primos, nec nisi illis productis haberi potest: ita in præsentis, cum posito quòd retineat priorem locum, ad tertium palmum spatii pervenire nequeat, nisi occupando secundum, neque enim naturaliter esse simul potest in duobus locis disjunctis, ut supra diximus. Hæc tamen non est proprie motus successivus, is quippe solum censetur, qui duratione est successivus, requiritque plura

V.
Qualis sit motus Angelus qui dicitur aut tres palmos spatii instanti simul acquirere.

Non tempore, sed natura prius und palmum spatii occupat, quàm alii.